

„ quendam Sabbatium Protospatharium opus fecisset, &  
 „ quæ loco distabant, in unum conjunxisset, Digesta  
 „ & Codices, & multa etiam ex Institutis, & ipsas Ju-  
 „ stiniani Novellas, in Libris quidem sexaginta, sex au-  
 „ tem Voluminibus, apte disponebat, omne quod con-  
 „ trarium erat & nullius in negotiis usus, rejiciens &  
 „ subducens, idcirco quod multa veterum institutorum  
 „ posteris improbata fore, veri non sit dissimile. Sed  
 „ & ne in eorum, quæ selecta sunt, interpretandi for-  
 „ mula redundaret quippiam aut supervacaneum esset,  
 „ curam impendit: siquidem quæ sigillatim & sparsim de  
 „ eodem argumento dicta sunt, in una tituli periocha  
 „ collocavit. Et hic autem centum viginti Novellas  
 „ Constitutiones fecit. Omnes autem hodie non obser-  
 „ vantur.

Hæc Blaſtares: quæ sunt fere ad verbum ex Proce-  
 mio Leonis Sapiensis in Basilicorum libros descripta:  
 sic enim ait Leo Sapiens „ Etenim ea, quæ Adrianus  
 „ Romanorum Imperator collegerat, accipiens Justinia-  
 „ nus, eaque in Libros quinquaginta redigens, proprium  
 „ & separatim opus confecit, Digestorum seu Pande-  
 „ ctarum nomen ei imponens. Quæcumque autem erant  
 „ in Codicibus, colligens, suam quoque sedem eis tri-  
 „ buit. Sed & Instituta, idest, legitimæ scientiæ prima  
 „ elementa licet Juris corpori cohæreant, separatim ta-  
 „ men composita sunt. Rursus Novellis Constitutioni-  
 „ bus, quas idem elaboravit, suum quoque locum dedit.  
 Pergit Leo Sapiens, enarrans, sic distributam a Justinia-  
 no Legum compositionem, sibi non satis efficacem visam  
 fuisse, ad tollendas difficultates, quas parit Legum stu-  
 dium, nec ejus satis accuratum studium: itaque omnes  
 Legum compositiones in unum corpus cogendo, eas sex  
 Voluminibus summam se complexum fuisse, ac in Li-  
 bros sexaginta divisisse.

Ceterum quod tam Leo Sapiens, quam Blaſtares af-  
 ferunt, *Adrianum* Romanorum Imperatorem, aliorum  
 omnium præscripta collegisse, eaque in quinquaginta li-  
 bros distribuisse, quibus Digestorum sive Pandectarum  
 Lib. II. D nomen